IN LOGARITHMOS.

QVæ tibi cunque ſinus, tangentes atque ſecantes
Prolixo præſtant, atque labore gravi:
Abſque labore gravi, & ſubitò tibi, Candide Lector,
Hæc Logarithmorum parva tabella dabit.

MIRI-

MIRIFICI
Logarithmorum canonis deſcriptio, *eiuſque uſus in utrâque Trigonometria*, ut etiam in omni Logiſtica mathematica, *ampliſsimi, facillimi, & expeditiſsimi* explicatio.

LIBER I.

CAPVT. I.
De Definitionibus.

1. Def. *LInea æqualiter creſcere dicitur, quum punctus eam deſcribens, æqualibus momentis per æqualia intervalla progreditur.*



Sit punctus A, à quo ducenda ſit linea fluxu alterius puncti, qui ſit B. fluat ergo primo momento B ab A in C.